





Handwritten gold-tooled initials, possibly "J. H. B.", rendered in a highly decorative, calligraphic script with elaborate flourishes and scrolls.





John Carter Brown.





July 18.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

PHYSICS DEPARTMENT

55 EAST LAKE STREET

CHICAGO, ILL.

U.S.A.

1918

1919

1920

1921

1922

1923

1924

1925

1926

1927

1928




ADMIRANDA NARRATIO
FIDA TAMEN, DE COMMODIS ET
INCOLARVM RITIBVS VIRGINIÆ, NVPER
ADMODVM AB ANGLIS, QVI A DN. RICHARDO
GREINVILE EQVESTRI ORDINIS VIRO EÒ IN
COLONIAM ANNO M.D. LXXXV. DEDVCTI SVNT
INVENTÆ, SVMTVS FACIENTE DN. VVAETERO
RALEIGH EQVESTRI ORDINIS VIRO FODINARV
STANNI PRAEFECTO EX AVCTORITATE
SERENISSIMÆ REGINÆ ANGLIÆ.

ANGLICO SCRIPTA SERMONE
À THOMA HARIOT, EIVSDEM WALTERI DOMESTI
CO, IN EAM COLONIAM MISSO VT REGIONIS SE
TVM DILIGENTER OBSERVARET


NVNC AVTEM PRIMVM LATIO DONATA A
C. C. A.
CVM GRATIA ET PRIVILEGIO CÆS. MA^{TIS} SPEC.^{LI}
AD QVADRIENNIVM

FRANCOFORTI AD MOENVM
TYPIS IOANNIS WECHLI, SVMTIBVS VERO THEODORI
DE BRY ANNO MDXC.
VENALES REPERIVNTVR IN OFFICINA SIGISMVNDI FEIRABENDII



RPJCB

SERENISSIMO PRIN-
 CIPAC DOMINO, DOMINO
 MAXIMILIANO, D. G. ELECTO
 REGI POLONIÆ, &c. ARCHIDVCI AVSTRIÆ, &c. DVCI
 Burgundiæ, &c. Administratori Magni Magistratus in Prussia, Teutonici ordi-
 nis Praefecto per Germaniam & Italiam, Comiti Tyrolis, &c.
 Domino suo Clementissimo.



IN communi omnium gratulatione de felici Serenissima vestra
 Maiestatis reditu, Serenissime Rex, non potui facere, quin ani-
 mi mei letitiam etiam declararem. Ser. U. M. prolato aliquo
 munusculo, quod quidem exile est, & pro tenuium mearum fa-
 cultatum ratione: sed quod arbitror non minus futurum gratum

Epistola Dedicatoria.

ipsi S. V. M. propter argumenti nouitatem, quam aliud quoduis fortasse ab opulentiore profectum. Perspectum enim mihi est, quantum delectetur S. V. M. rerum nouarum, praesertim admiratione dignarum, cognoscendi studio.

AD Ipsam igitur adfero Nouam hanc, & Admiratione dignam Historiam VIRGINIAE, noui Orbis, ad Septentrionem obuersi, Prouincia, nuper admodum Anglorum navigationibus reperta, in qua soli ubertas, aeris temperies, commoditates quae in ea haberi possunt, Indigenarum ritus, vestitus, & uiuendi ratio breuiter, fideliter tamen describuntur: additis etiam ueris Indigenarum & aliquot oppidorum iconibus, diligenter & magna cura a me ad uinum expressis, quo facilius rei narratio intelligi, & totius Prouincia ueluti Idea quaedam animo concipi possit.

NON aspernabitur autem (ut spero) S. V. M. exiguum hoc mei erga ipsam deuoti animi testimonium, sed pro ingenita sua Clementia benigne suscipere, & suo patrocinio tueri dignabitur.

DEVS autem OPT. MAX. S. V. M. diutissime seruet incolumem, & praclaros ipsius conatus fortunare velit. Francoforti ad Mœnum, KL. Aprilis M D X C.

Ser^m V. M.

humilimus cliens,

THEODORVS de BRY
Leodiensis.

Protesta 5 *Amo* *L*

BENEVOLIS COLO-
NIAE, QVAE IN VIRGINIAM
TRADVCTA EST, PROMO-
TORIBVS ET FAVORIBVS.

POST primam Nauigationē, quæ a Domino WALTERO RALEGH instituta est, ad inuestigandam eam Prouinciam, quæ nunc VIRGINIÆ nomine cognita est, multæ aliæ nauigationes ipsius sumptibus in eam factæ sunt, vti anno 1584. deinde annis 1585. & 1586. postremùm hoc proximo anno 1587. De his varii sermones sunt habiti calumniarum pleni ab illis qui inde regressi sunt, præsertim vero iis, qui Dn. RICHARDVM GREINVILE comitati sunt anno 1585. quæ nauigatio fuit omnium primaria, & maximi momenti nunc etiam est: nam ipsi integro anno in ea regione hæserunt, cum superiore nauigatione sex duntaxat hebdomadibus mora facta sit, & reliquæ sequentes solummodo institutæ ad comneatum & supplementum inferendum, neque illis quidquam amplius obseruatum est. Si sermones non modicum damnum intulerunt viris illis qui alioqui huic negotio fauissent, & sumtus aliquos fecissent in laudē & beneficium nostræ nationis, vt taceam priuatum emolumentum & auctoritatem, quæ ipsis inde accessisset: vt appariturum confido ex his quæ in eorum contumeliam, qui contrarium asseruerunt, contingere poterunt, modo vos beneuoli fautores & promotores, crescatis numero, perseueretis in sententia, aut, si aliqua dubitatio suborta est, de integro beneuolum animum adferatis, & aliquid conferatis pro ratione commodorum quæ istic inuestigata sunt, & postea intelligetis necessario requiri. Nam, ob hanc sermonum varietatem, pluri-
mi vestrùm nihil certi de sumtibus faciendis statuere poteratis.

Cum ergo ex eorum sim numero, qui in rerum inuestigatione diligentem nauarūt operam, & ad Indigenas missi fuerunt, idcirco plura obseruare & cognoscere potuerunt quam reliquum vulgus: vtile iudicavi vobis communicare nostrorum laborum fructum (vt intelligatis, quam inique ea actio calumniis proscissa fuerit) hoc publico scripto, duabus præsertim de causis.

Primum, vt qui ex vobis ignari adhuc sunt & dubii eius Prouinciæ status, cognoscere possint, huius nauigationis primarium Auctorem, subnixum fauore suæ Maiestatis, sufficientem causam habuisse, vt, neglectis huiusmodi calumniis, non modo perseueraret in suo instituto, missa hoc posteriore anno in eam Prouinciam noua Colonia: sed vt etiam paratus sit, pro temporis & rerum occasione, illud omni conatu prosequi.

Deinde, vt vos, cum huius instituti continuationem anim aduertetis, in vniuersum intelligere queatis, qualis sit ea regio, & inde perpendatis, quantum emolumentum & commodi ex vestra negotiatione, (si eam constanter retinueritis) ad vos rediturum sit, vel colonia eò deducta, vel alia ratione negotium promouendo.

Denique licet mea narratio, vt reliquæ, propter earum varietatem vobis dubia sit; huius varietatis causam paucis primum vobis declarare cupio, vt candide deinceps iudicium ferre possitis, pro rerum occasione.

Nonnulli, ex nostro cœtu qui inde rediit, iusta ratione puniti fuerunt ob delicta in ea Prouincia commissa, & male institutam vitæ rationem: illi ob peruersam suam natu-

ram non modo maligne suos Praefectos calumniati sunt, sed eorum gratia ipsam etiam Prouinciam vituperarunt. Idem fecerunt eiusdem facinoris participes:

Alii statum & conditionem ignorantes, non sunt tamen veriti a suo reditu inter suos commilitones, praesertim vbi nemo adesset qui eos mendacii argueret, sese adeo vendicare, quasi reliquis plus obseruassent, & longiora fecissent itinera: ignominiae enim sibi fore existimabant, si, cum duodecim mensibus in ea Prouincia haesissent, plurima de ea referre non potuissent, siue vera, siue falsa. Nonnulli igitur plura retulerunt quam ipsi viderint aut obseruarint: alii vero eo impudentiae prolapsi sunt, vt ea quae & ipsi & alii certissima esse istuc cognouerunt, omnino negare non pudeat. Alii cum difficultate credunt ea, quorum nullam habent notitiam.

Eius ignorantiae causa inde porro orta, quod plurimi, toto illo tempore, quo in ea Prouincia permansimus, aut insulam quam incolebamus numquam fuissent egressi, aut non procul inde digressi, & paucis locis; aut quod multi auro & argento, si qua spes affulgeret, inhiarent, nec quicquam pensi ducerent, nisi vt aluum farcirent; aut quod plerique iudicio & prudentia carerent, & iusto loquaciores essent.

Aliis, qui in oppidis solum versati erant, aut qui, vt ingenue dicam, numquam antea erant peregrinati, misera videbatur ea Prouincia, quod istuc neque vrbes Anglicanis similes, neque tam magnificas aedes, neque victus rationem tam opiparam, neque molles & tenuiore pluma farctos lectos reperirent, & ex suo iudicio de ea pronuntiabant.

Cum vero meum institutum duntaxat fuerit, vt paucis demonstrarem occasionem varietatis istorum sermonum, & aliorum similium a nostris hominibus habitorum, in quibus inuidiae, nequitiae, iniuriarum & futilium rerum plena omnia, quaeque a prudentibus viris ne cogitari quidem debuerat; diutius istorum relatione vobis molestus esse non cupio, sed ad commoda transibo, quae neruus sunt earum rerum, quarum mentionem facere debeo. Hunc igitur librum in tres primarias partes diuidam, vt pleniorum commodorum eius Prouinciae notitiam dare possim.

Prima parte declarabo commoda iam inuestigata, aut inuestiganda, in vsum non modo cessura vestrum qui eam Prouinciam incolitis aut incoletis, sed eorum etiam, qui sua cura & industria, tanta abundantia adquirent, vt ea nostris Anglis vel commercio, vel permutatione communicare possint, vnde & ipsi opes sibi parient, & illi qui cum ipsis commercia exercent, denique in commune omnibus proderunt nostrae praesertim nationis hominibus, ad multarum rerum supplementum, quae antea vel ab exteris vel ab hostibus peti solebant: ea commoda, distinctionis gratia, mercaturam appello.

Secunda parte comprehendam ea regionis commoda, quae sola ad humanae vitae sustentationem sufficere posse experti sumus, vt indigenis sunt in vsu, & nobis item fuerunt toto illo tempore quo istuc haesimus.

Tertia parte agam de reliquis commoditatibus, quarum meminisse poterō, & necessarias iudicabo illis qui ibi habitabunt, praesertim de his quae ad fabricas attinent, & aliis necessariis. Huic accedet breuis descriptio naturae & rituum Indigenarum.



PRIMA PARS,
DE MERCATU-
RAE COMMODITA-
TIBVS.

Sericum herbaceum, vel Herba Sericea.

HERBAE genus est in ea Prouincia, in cuius foliis nascitur laudatum sericum, instar tenuis & splendentis pelliculae, quae detrahitur. Ad binos pedes cum semisse, vel etiam altius adolescit, foliaque profert binos pedes longa, unum lata. Similis nascitur in Persia, eodem quo Virginia climate sita; ex qua multa sericea opera fiunt, quae ad nos in Europam usque adferuntur. Si haec planta coleretur ut in Persia, non dubium est quin magna utilitas cum tempore reditura esset ad eos qui eam colerent, quandoquidem serici tantus apud nos & apud alios usus est. Atque in ea sum opinione, longe maiorem, meliorem & latiorem prouenturam, si fecundo solo sereretur. Abunde tamen multis eius Prouinciae locis sponte prouenit, cuius in Anglia factum est periculum: nam integer pannus sericeis staminibus contextus ex ea factus est, qui proba & laudabili materia constare iudicatus est.

Bombyces.

PER eam prouinciam iter facientes, frequenter bombyces inuenimus prae grandes admodum, instar nucis iuglandis crassos: sed non ea abundantia, quae nobis dicta fuerat. Cum tamen regio eos alat, dubium non est, quin, si mori & aliae arbores necessariae plantarentur locis ad bombyces alendos commodis, & diligenti cura bombyces educarentur ab iis, qui eius

Breuis & fida Narratio,

rei notitiam habent, non minus commodum sint accepturi Virginia incola, quam nunc accipiunt, Persæ, Turcæ, Itali, & Hispani.

Linum & Canabis.

RARO istic eodem loco nascuntur Canabis & Linum; quia non feruntur: sed illud dumtaxat quod tellus sponte producit, a nostro caule & foliis diuersum; materia tamen eorum, qui in his versati sunt, iudicio perinde bona ac nostrum. Et licet nullum eius rei haberemus experimentum, ipsa tamen tellus satis superque indicat, egregie istic prouenturum, atque si fereretur, quemadmodum decet, etiam abunde: quandoquidem tantum sit soli quod ad huius saturationem coli posset. Quanta inde perciperetur utilitas ex lineorum pannorum & funium confectione, nemo facile assequi queat.

Alumen.

TERRAE vena est secundum littus maris ad quadragesimum & quinquagesimum miliarium in longitudinem protensa, ex qua nonnullorum, qui periculum in Anglia fecerunt, iudicio, bonum alumen conflatum est, eius generis quod Alumen rupeum siue de Rocca cognominatur. Commoditatis illius opulentia adeo cognita est, ut de ea plura dicere superfluum existimem. Eadem vena Chalcanthum, Nitrum & Alumen plumeum siue scissile prabet, non tamen ea quantitate quam vulgare, quod magni est precii & non contemnenda utilitatis.

Wapeih.

WAPEIH ab indigenis appellatum terræ genus est Lemnia, quam sigillatam vulgus appellat, valde simile, quæ depurata eiusdem facultatis esse deprehensa est a nostris Medicis & Chirurgis, vel etiam prestantior. Indigena ad ulcera vulneraque curanda frequenter utuntur. Magna est quibusdam locis eius abundantia: & carulei coloris interdum reperitur.

Pix, Pix liquida, Resina, Terebinthina.

MAGNA est earum arborum frequentia, quæ resinas iam enumeratas ferunt. Ea quidem Insula, in qua habitauimus, quindecim miliaribus

De commodis incol. Virginiae. 9

ribus in longitudinem patens, & quinque aut sex in latitudinem, plena est arboribus eius fere generis.

Sassafras.

SASSAFRAS, ab indigenis illius Prouinciae *WINAVCK* appellatum, ligni genus est valde suavis odoris, & magni in Medicina usus ad curandos varios morbos. Experientia comprobatum est, multo praestantius Guaiaco. Eius descriptionem, utendi rationem, & facultates tradidit Doct̃or *Monardes* libello *De simplicibus medicamentis ex Occidentali India delatis*.

Cedrus.

CEDRVS lignum est odoratum, ad fabrilia opera valde accommodum, ut sunt scrinia, spondae, mensae, abaci, testudines, citharae, & similia, ut iam experientia comprobatum est. Facilis etiam eius usus ad pleraque alia.

Vinum.

VITIS duo genera sponte nascuntur: alterum tenuibus uuis & acerbis, nostris Anglicanis magnitudine paribus: alterum longe maioribus, dulci liquore plenis. Si accederet huic generi conueniens cultura, magna vini commoditas inde accederet.

Oleum.

DVO etiam nucum genera, ad oleum conficiendum idonea: sed alterum maxime. Si mola, aliaue instrumenta adessent, magna utilitas inde elici posset: istic enim abundant. Sunt etiam tria baccarum genera inter se differentia, quarum forma glandibus similis, a quibus, ut Indigenarum usu comprobatum est, bonum elicitur oleum. Illius praeterea Prouinciae vrsi admodum pingues sunt, & quibusdam locis magna eorum frequentia: horum pinguedo, cum sit liquida, commode oleum vocari posset, ad multa utile.

Breuis & fida Narratio

Villofæ pelles.

Secundum littus marinum frequentes sunt Lutrae, e quarum pellibus, si nascis aliis ve commodis instrumentis caperentur, magna accederet utilitas. Martes Scythicas siue Zibellinas pelles etiam expectamus: nam ex indigenarum relatu intelligimus, magnam eorum animalium frequentiam nonnullis eius Prouinciae locis inueniri, licet binæ duntaxat pelles ad nos peruenierint. Lynces et inueniri audimus, tametsi hæcenus nullos cõspexerimus.

Ceruinae pelles.

PELLES ceruinae crudæ, aut rupicaprae pellis instar paratæ, ab indigenis quotannis millena vilium mercium permutatione redimi possent: Et tamen animaduerti nequit, numerum ceruorum imminui, tanta est eorum frequentia.

Mustelæ odoratæ.

FTER facientes in mustelam odoratam, quam vulgus Ciuettam appellat, ab indigena casam incidimus: alio deinde loco recenter istic aliquam aut plures fuisse subodorati sumus: inde collegimus, indigenarum præsertim sermonibus confirmati, Prouinciam illas etiam alere. Magna hinc sane accederet utilitas.

Ferrum.

DVOBUS eius regionis locis, octoginta aut centum & viginti a nostra arce miliarib. inuenimus non procul a littore marino multas rupes, quæ multum ferrum continere, a metallicis hominibus deprehensæ sunt. Inuenitur etiam multis aliis eius Prouinciae locis. Commoda igitur ex eo posset fieri mercatura, cum præter viles in operarum victum expensas, magna istic liquorum copia reperiatur: Et quandoquidem in Anglia ingens sit ligni penuria, saburra loco nauibus imponi, Et in Angliam aduehi posset ferrum istic excoctum.

Aes.

CENTVM & quinquaginta miliaribus in interiorem regionem progressi, in duobus oppidis inuenimus apud indigenas multos paruos planos orbes

De commodis incol. Virginiae. II.

bes ex are, qui, ut intelleximus, conflati fuerant a nonnullis qui ulterius adhuc habitabant, ubi, ipsis referentibus, montes & flumina erant, qua grana quaedam alba proferebant metallica argento similia. Id ita esse confirmari potest ex eo, quod primum in eam regionem aduenientes, ego cum alijs quibusdam vidimus: obseruauimus enim parua duo argentea fragmenta rudiuscule efformata singula testonem Gallicum forte pendentia, WIROANS siue Reguli cuiusdam octoginta circiter a nostro propugnaculo miliaribus habitantis auribus appesa. Ab eo sciscitatus quot dierum itinere distaret locus unde habuisset, ex eodem illo loco accepisse intellexi, vel viciniore, in quo, ut postea rescitum est, as & grana alba metallica reperiabantur. Continebat autem as illud, ut periculo facto deprehensum est, aliquid argenti.

Vniones.

MVSCVLOS edentes, interdum margaritas siue vniones inuenimus, sed nostro infortunio vel scabras, vel maculis aspersas, nōdum enim inuestigauimus ea loca, in quibus & elegantiores & maiore quantitate inueniri intelleximus. Unus e nostris qui similium rerum peritus erat, ab indigenis circiter quinquies millenas collegerat: ex harū numero selegit rariores elegantia & colore prestantiores, magnitudineque & rotunditate aequales, ad monile ex his conficiendum, quod Ser^{me} Regina donare habebat in animo, nisi ingentibus tempestatibus in reditu excepti, eius & multarum aliarum rerum iactura facta fuisset.

Gummi.

VARIA inueniuntur Gummi genera, & alia medicamenta Pharmacopolis idonea, quorū mentionem faciemus, quando ab ijs qui similium rerum peritiam habet, intelligemus plura esse obseruata, quam a nobis: nā nullum eorum periculum fieri potuit, quod omnia iam dicta tempestate perierint.

Varii generis tincturæ.

RHV^s coriariorum, ab Anglis, ob multiplicem in tincturis eius usum, bene notum, istic crescit. Coquere solent herbam quandam WASSEWÓWR appellatam, paruas & tenues radices CHAPPACOR, & corticem arboris ab indigenis Tangomóckomindge, e quibus sunt diuersi rubri colores. Horum colorum nullum adhuc factum est in Anglicis pannis periculum indigena solum utuntur ad tingendos capillos & faciem, & chlam ydes, cerui-

Breuis & fida Narratio

nis pellibus constantes, colore imbuēdas; deinde ad iuncos & vimina, e quibus storea, sportæque eleganti opere contexuntur, tingenda, cum nihil aliud habeant ab ipsis magnopere estimatum quo uti possint. Si quis tamen eos colores mercatura nomine indignos censet: dubium tamen non est, quin nostri, qui eam regionem incolerent, ad multos usus traducere, possent, quemadmodum & alios colores istuc reperiri scimus.

Isatis.

ISATIS, siue glastum Angliæ tinctoribus bene notum & carum: nimis parua quantitate in Angliā nascitur, ob soli penuriam: at in Virginia, regione amplissima, & multis locis inculta serri posset. Nec dubium est, quin optime nasceretur, cum in Insulis quæ ab Accipitribus, apud Hispanos Acores vocatis, nomen inuenerunt, abunde nascatur, quæ in eodem sunt climate, quemadmodum & Insula vulgo Madera appellata.

Sacchari cannæ siue arundines.

SACCHARI cannas siue arundines istuc plantandas detuleramus, sed cum negligenter fuissent adseruata, & tempus eas serendi iam elapsum esset, quando eo appulimus, periculum ex animi sententia nullum facere potuimus. Cum tamē simili climate nascantur, ut in australi Hispaniæ & Africa parte, bonam spem adhuc habemus. Possent etiam conseri mali aureæ, limoniæ & cotoneæ, unde suo tempore, diligenti cura & sollicitudine adhibita, non parua commoditates sacchari, confectionumque ex saccharo & cydoniis haberi possent.

Multa alia similes commoditates ex satione & cultura adquiri possent, quas vestro iudicio permitto: alia præterea multa, quæ nondum a nobis sunt inuestigata. Potuissē etiam mentionem facere duarum aliarum non contemnendarum commoditatum, quarum altera certa est, altera in spe consistit, non cultura acquirenda, sed quæ sponte cum nascantur, breui tempore colligi ad conseruationem possent. Longiorem etiam sermonem de iam memoratis instituerē potuissē, veluti de locis natalibus earum, & in quibus commodius sererentur, quo anni tempore: deinde quanto temporis interuallo adulescere possent, & qua quantitate, ad utilitatem ex illis percipiendum: sed quia alij præter fauentes nostræ actioni, notitiam earum rerum acquirere possent, in totius actionis detrimentum, ego de industria ista silentio pressi; non ignarus, hæc quæ scripsi, nostris beneuolis sufficere: atque his priorem istius libri partem absoluam.



SECUNDA PARS.

DE COMMODI-
TATIBVS ANNONAE INDI-

genis Virginiae familiaris, & qua nos vsi sumus
cumeò appelleremus: Et primum de
his quæ feruntur & co-
luntur.



PAGATÓWR ab indigenis appellatum, id est, quod Occiden-
talis India incolæ *M A R Z* vocant. Grana fert pils An-
glicanis magnitudine equalia, nec forma admodum dissi-
mili: sed varii coloris, modo albi, modo rubri, nunc flauis,
aut cerulei. Ea trita, albam præbent farinam, ex qua, ut
debet, pista bonus fit panis. Dum istic hesimus, nos illud præparauimus hor-
dei modo, & tenuem cereuisiam, illi, quæ ab Anglis *Ale* dicitur, simi-
lem, suavis admodum saporis coximus. Non est dubium, quin addito lu-
pulo multo fortior & præstantior fieret. Granum est magni admodum
proventus, utpote quod mille, mille & quingenta, & bina interdum
millia reddat. Tria eius *Mayz* sunt genera; quorum duo ad sex vel se-
ptem pedum altitudinem crescunt, & maturitatem adipiscuntur unde-
cim aut duodecim a satū hebdomadibus, interdum etiam decem, pro satio-
nis tempore & ratione: alterum ad decem circiter pedum altitudinem
assurgit, & trimestricum semisse maturescit. Singuli calami quaternas
spicas, aut ternas, aut binas, vel unicam interdum ferunt, singulis spicis
quingies, sexies & septies centena grana continentibus, nonnunquam
plura vel pauciora. Ex his granis indigenæ sibi edulia præter panem parant,

vel ea integra decoquendo donec mollescant, aut confractorum farina & aqua pulterem conficiendo.

OKINDGIER, a nobis Fabæ appellantur, quia magnitudine & forma Anglicanis fabis simile est, planius tamen, & diuersorum colorum, interdum maculosum. caule & foliis multum a nostris differt, gustus tamen suauitate eis non cedit.

WIKONZÓWR, nos Písa appellamus, ut a fabis distinguamus, multo minores enim sunt, licet forma non multum discrepent: sapore tamé & bonitate longe nostra pisa superant. Utrumque genus decem a satu septimanis maturú est. Interdum ex illo trito pulterem parant, vel coquunt donec mollescat, & hiscere incipiat, nostro more, vel unicú genus separatim, vel utrumq; mixtim, nonnúquam suum Mayzum etiam admiscunt: vel varietatis gratia iam decoctum terunt in mortario, & pinsunt in massam, quam deinde in partes diuidunt, & iis vescuntur varietatis gratia.

MACÓCQWER, nostris peponibus, melonibus & cucurbitis valde similes sunt. Omnia tamen ista genera eiusdem saporis sunt in Virginia, illiusque grati admodum: insuper ex eodem semine proueniunt. Unum genus menstruo spatio maturescit, alterum bimestri.

Nascitur istic planta, qua illorum iudicio, quibus eius descriptionem dedi, Atriplicis genus est. In quatuor aut quinque pedum altitudinem excrescit: ex eius semine fit pulicula densa, boni admodum saporis: ex caulibus illius cineribus, salis massam constant, quo ad saliendo suos cibos utuntur, nam alium salem non norunt. Nos ex eius foliis olus coquebamus.

Alia præterea est prægrandis Planta, cuius flos calendule floris formam emulatur; sex pedes alta, cuius caput cum flore dodrãtalem latitudinem obtinet. Hanc nonnulli magnam illam Solis plantam esse censent. Ex eius semine panem conficiunt & pultis genus.

Omnes ista commoditates predictorum eduliorum, aut satione vel plantatione adquiruntur, singulorum generum semente separatim nonnunquam facta: magna vero ex parte, omnibus mixtim in eodem agro satis. Ut vobis porro soli illius ubertatem demonstrarem, non inutile iudicavi, illorum colendi terram & serendi rationem breuiter describere.

Numquam istic solum fimo, aut alia restercoratur, neque aratro aut pectine colitur Angliano more: sed subsequente duntaxat ratione preparatur. Aliquot ante sationem diebus, viri, ligneis instrumentis magna ex parte instar ligonum factis, oblongo manubrio, femina, bidentibus,
aut

De commodis incol. Virginiae. 15

aut palis pedem tantummodo longis, & circiter quinque pollices latis, breui manubrio (quia sedentes laborant) terra superficiem solum refodiunt, ad inutiles herbas, veteresque *Mayzi* culmos cum suis radicibus euellendum. Has per biduum aut triduum sole resiccatas cumulatim congerunt, atque ut efferendi molestiam fugiant, comburunt. Existiment aliqui forsitan eos cineribus uti ad terram stercoreandam: quod si ita esset, cineres unde quaque dispergerent, quod tamen eos facere non obseruauimus (nisi ubi maiores erant cumuli) aut singulari cura suum frumentum sererent locis cinere aspersis, cuius rei non admodum sollicitos eos esse comperimus. Hæc est terram colendi apud eos ratio.

Hoc autem modo serunt vel plantant. Ab extrema agri parte initio facto, bidente foramen faciunt, in quod quatuor grana coniicientes summam curam adhibent, ut ea pollicem unum inter se distent; deinde statim terra obruunt: atque ista ratione per totum agrum opus suum prosequuntur foramina faciendo eaque replendo; eo tamen respectu, ut omnia serie quadam serantur, singulaque series dimidiam orgyiam ab inuicem separata, foramina accipiant, tantundem inter se distantia, ut inter binna foramina dimidiata orgyia spatium sit. Interdum fabas & pisa simili obseruata distantia interserunt: & variis locis admiscet *MACOCQVER*, Atriplicis & *Planta solis* grana.

Terra sic culta ager continens quadraginta decempedas Anglicas in longitudine, & quatuor in latitudine, reddere posset, secundum rationem a me subductam, frumenti, fabarum & pisorum ducentos Londinenses modios, præter *MACOCQVER*, Atriplicem, & *Plantam Solis*. Cum tantum agri in Anglia quadraginta frumenti modios reddit Domino, præclare secum actum putat.

Utile igitur duxi vobis hæc aperire, ut qui eam prouinciam inhabitabitis, cognoscatis quantum eius solum frumento excipiendum aptum, sit præferendum nostro: præter alias commoditates quas adfert, quæ adseruari possent: tanta est eius ubertas, ut exiguo labore opus sit, si cum eo qui apud nos requiritur, conferatur. Propterea vobis asserere non dubito, unicum virum (quantum ex subducta a me ratione colligere licet) tantum agri, quod quidem frumentum ante tulerit, viginti quatuor horarum spatio colere posse, quod illi referat, quæ ad ipsum luculenter alendum annuo spatio sufficient, licet nihil inde recipiat, quam quæ solum ipsum ferre est aptum, puta illa ipsa, quæ ante enumeravi, pateatque ager duodecim orgyias cum semisse in longitudinem & latitudinem. Quod si opus esset (multa tamen istuc est terra

vacua) ex eodem fundo duas messes colligi possent: nam quouis tempore serere & plantare licet, a medio Martio in finem usque Iunii, sic ut quando absumpta est annona prioris messis, denuo seri possit. Porro licet quibusdam Prouincia eius locis ex eodem agro binas colligant messes, ut iam intelleximus: si vos incola idem experiri velitis in Anglico frumento, licebit id facere, vel omittere, donec ampliorem habeatis occasionem de ea re maturius cogitandi. Quod ad soli naturam attinet, nihil dubitandum est: nam nos periculum fecimus in hordeo, auena, & pils, quae quidem de industria non seuiimus, sed cum forte excidissent in sterilem alioqui terram, non minus tamen eleganter creuerunt, quam quae in Anglia conspexerimus. De frumento nullum facere periculum licuit, quod ex aqua salsa aspersione mucorem contraxisset: secale nullum habuimus. Longius paulo euagatus sum, non sine utilitate tamen, ut spero: nunc ad meam narrationem regrediar, & reliqua ad hoc caput pertinentia persequar.

PLANTA est sponte nascens, ab indigenis УРРОВОC nuncupata. Ea apud Occidentales Indos varia adepta est nomina, pro locorum in quibus nascitur ratione & usu. Hispani vulgo TABACO appellant. Folia eius resiccata & in pollinem redacta, tubulis quibusdam ex argilla formatis imponuntur, incenduntur, fumusque per os attrahitur. Is fumus sic haustus pituitam crassosque humores ex capite & ventriculo elicit & purgat, & corporis meatus aperit. Qui eo utuntur, non modo ab obstructionibus corpora preseruant: sed ab his quas habent, modo nimium vetusta non sint, breui liberantur: hinc eorum corpora sana, nec in ipsis obseruare memini, graues plerosque morbos, quibus in Anglia plerumque affligimur.

ISTVD Урроровоc tanti apud indigenas est pretii, ut etiam existiment suos Deos ipso delectari. Hinc fit ut interdum ignes sacros faciant, & sacrificii loco huius puluerem iniiciant, & nauigantes in tempestatibus istum puluerem in aerem & aquam spargant: sic nassa ad capiendos pisces recenter contexta, puluerem in eam iniiciunt, & in aerem spargunt. Eundem ritum etiam obseruant liberati a graui aliquo periculo, ut in aera puluerem iaciant, miros admodum gestus exprimentes, modo pedibus terram pulsantes, modo saltantes, modo manibus complois, & in altum protensis, calum spectantes, & dissona verba efferentes.

Nos ipsi, dum istic haesimus, illa herba vsi sumus ex eorum instituto in nostris morbis, atque etiam a nostro reditu: variasque eius facultates & mirandas experti sumus, de quibus si nobis instituendus esset sermo, integer liber conscribendus esset. Sed de his multa dicere superuacaneum est: nam pericu-

De commodis incol. Virginiae. 17

periculum a peritis Medicis in viris & mulieribus aliisque promiscue factum, fidem earum facultatum adstruit.

Hæ sunt quas noui, & quarum meminisse potui, commoditates ad humani corporis sustentationem pertinentes, ex agricultura prouenientes: reliqua quæ istic affatim reperiuntur, sponte proueniunt.

Radices.

O P E N A W K radices sunt rotundæ, quarum aliqua nucis iuglandis magnitudine sunt, aliæ multo maiores. Nascuntur humidis & paludosis locis, multæ simul coherentes, tamquam funiculo traiectæ essent. Et in aqua aut aliter coctæ, bonum præbent alimentum.

O K E E P E N A V K, rotunda etiam est forma, & aridis locis crescit: inuenitur interdum magnitudine capitis humani. Recentiores & iam primum terra erutæ debent edi hæ radices: nam obsiccitatem, neque elixationem neque assationem ferunt. Cedunt superioribus gustus suauitate: in panis tamen penuria, & nonnunquam varietatis causa, indigenæ uis uescuntur cum piscibus & carne: atque meo quidem iudicio, tam facili sunt digestionis, atque vulgaris panis Anglicus ex secalis farina confectus.

K A I S H V C P E N A V K, radix est alba oui gallinacei magnitudine, similique fere forma: mihi adeo grati saporis non est uisa atque superiores: propterea non magnopere laborauimus, ut eius natales obseruaremus. Indigenæ tamen coquunt & edunt.

T S I N A W, radices genus est, illi admodum simile, quæ in Anglia China root, hoc est, Radix China nuncupatur, ex Orientali India delata, & existimamus illius genus esse. Nascuntur multæ simul connexæ, caulemque habent, illi plantæ, quam Angli Brier uocant, similem: folia uero multum dissimilia: quæ arboribus sustentata, illas arcte amplectantur, & ad earum usque fastigium reptant. Ex his radicibus recentibus in frusta concisis, contritis, & cum aqua expressis, ad succum eliciendum fit panis, decoctæ, bonum præbent iusculum gelatinæ simile, sed multo suauioris sunt gustus, si cum oleo misceantur. Hoc uero Tsina non est illa planta, quæ nonnullis occasionem præbuit, ut pro Radice China eam in Angliam adferrent: nam postea demum obseruata est, & eius usus qualem nunc retuli. Sed illam quæ in Anglia delata fuit, adhuc ignoramus, ipsique adeo indigenæ, an ad aliquam rem utilis sit, licet radices multum sint inter se similes.

COCVSHAW, plerique nostrum eam radicem esse arbitrati sunt, quae ab Occidentalis Indiae Hispanis Cassavi appellatur, eam ob causam illi idem nomen indiderunt. Nascitur locis palustribus & humidis. Ex ea pro indigenarum consuetudine parata, fit bonus panis, atque suaue pulmentum, magnique est usus inter indigenas. Huius radicis succus toxicum est, eam ob causam exprimendus, antequam radix in usum recipiatur. Primum igitur pelle ademt a sole aut igne siccatur, deinde in farinam teritur, atque ita panis conficitur: aut dum adhuc recens & viridis est, repurgatur, in frustra conciditur, teritur, & in pastillos conformatur; qui ad ignem vel supra ignem positi donec acescant, denuo in pollinem reducuntur, ex quo panis fit, aut polenta salubris & suauius gustus.

HABASCON radix est calida, magnitudine & forma Pastinacae admodum similis: vesca non est sola, sed cum aliis cibis coqui solet.

MULTIS etiam eius Prouincia locis nascuntur Allia, a nostris Anglicanis parum differentia. A dea loca in quibus crescunt venientes, multa collegimus & edimus; ipsos autem indigenas numquam illis vescentes conspexi.

Fructus.

VARIIS locis magna Castanearum quantitas reperitur, quae a nonnullis cruda eduntur, ab aliis confringuntur, & pultis modo coquantur: aliqui etiam ex iis elixis massam conficiunt illi similem, quae ex ipsorum fabis supra memoratis fit.

NUCES regia plurimis locis maxima frequentia nascuntur, eaque duorum generum: magna enim sunt siluae ad multa milliaria protensa; quarum arbores tertia ex parte sunt nuces. Unum genus sapore & forma parum a nostris Anglicis differt, putamine tamen est crassiore & duriore: alterum genus maius, cortice admodum scabro & duro praeeditum, nucleum habet magnum, dulcem & oleaginosum. Licet nostro more eis vescantur, lapidibus tamen etiam confringunt, & in mortarium coiectas cum aqua contundunt, ad lac conficiendum, quo varie in suis pultibus vtuntur; suo etiam frumento, fabis, pisis & peponibus admiscet suauioris saporis conciliandi gratia.

MESPILA, fructus sane bonus, sic a nobis nuncupatus praesertim ob has causas; quod primum esur non sit aptus, nisi mollis & tener; deinde quod umbilicum siue caput habeat nostris mespilis simile, & eiusdem sit magnitudinis: sapore tamen & colore plurimum ab illis differt: nam hic rutilo colore

De commodis incol. Virginiae. 19

colore est ut cerasa, & valde dulcis, insipidus tamen, cum cerasa medium inter dulcem & acerbum succum habeant.

METAQVESVNNAVK, elegans est fructus, forma & magnitudine fere nostrorum pirorum, sed foris & intus impense ruber. Nascitur in planta cuius folia admodum densa sunt, aculeis pungentibus plena. Nonnulli qui in India versati sunt, & ingentis precij colorem illum Cochimilla nuncupatum crescentem viderunt, aiunt eius plantam similem esse Metaquesumauk stirpi, quæ an sit vera Cochimilla, an illius spurium aliquod genus, nihil asserere possum, cum, ut intellexi, Cochimilla in fructu non proueniat, verum in ipsius plantæ folijs. Huius autem folia, quantum ad hanc rem attinet, adeo diligenter non obseruauimus.

UVARYM duo sunt genera, quarum memini inter Mercatura commoditates.

FRAGA etiam istic nascuntur non minus suauia & magna, quam quæ in Angliæ hortis coluntur.

MORA, & alij similes fructus, quales etiam in Angliæ habemus.

SACQVENVMENER, bacca genus est Capparibus simile, paulo tamen maius, confertim in planta quadam nascens, quæ in stagnantibus aquis reperitur. Coctæ per octo aut nouem horarum spatium, uti necesse est, suauis & salubris cibus sunt: alia ratione manducatæ, pariunt ad tempus delirium, aut aduersam valetudinem.

Est istic *Arundinis* genus granum ferens nostræ secali aut frumento simile, quod decoctum esui est aptum.

In nostris peregrinationibus inuenimus quibusdam locis syluestria pisa nostris Anglicanis similia, minora tamen, sed esui apta.

Obseruata etiam quinque *Baccarum* vel *glandium* genera, quæ in diuersis arborum generibus nascuntur, primum *Sagatémener*, alterum *Ośamener*, tertium *Pummuckoner*. Has glandes siccare solent supra tegetes ex arundine contextas subtus facto igne, eodem fere modo quo nos in Angliæ hordeum aqua maceratum. Cum eis vesci volunt, in aqua primum macerant donec tenerescant: deinde coctæ, vel sola eduntur, aut in farinam comminutæ, ad offas panis conficiendas esui aptas. Ex his tribus generibus iam dictis indigena oleum dulce eliciunt. Quartum genus *Sapummener* dictum, coctum & compressum, Castaneæ sapore est: ex hoc interdum panem pinunt. Quintum genus *Mangummenuk*, glans est quercus illius *Provinciæ*: ea desiccata, ut priores, deinde aqua macerata & decocta, in cibum cedit tam ministris quam patribus-familias, vel varietatis causa, aut ob panis penuriam, cum piscibus vel carnibus.

Quadrupedes.

Quibusdam locis inueniuntur magna Ceruorum armenta: qui secundum littus marinum versantur, fere sunt eiusdem magnitudinis cum Anglicanis, aliqui etiam minores: in interiore regione, ubi sunt uberiora pascua, maiores sunt. In hoc nostris sunt dissimiles, quod longiore cauda sint praediti, & cornuorum extrema in dorsum recurua habeant.

Omnes cuniculi a nobis istic conspecti, quosque illic esse intelleximus, cinerei sunt coloris ut lepores: quibusdam locis tanta est eorum frequentia, ut aliquot oppidorum incolae chlamydes ex eorum quos capiunt pellibus sibi parent.

SAQVENVCKOT & MAQVÓWOC paruorum animalium duo genera, cuniculis tamen maiora esui apta. Nos nulla umquam cepimus, sed his quae ab indigenis capiebantur, & nobis adferebantur vescemur aliquando.

SCIVROS cinerei coloris interdum a nobis captos edimus.

URSI omnino nigri sunt & edules: indigena hieme eos venantur, & frequenter illis vescuntur, nos etiam aliquando. Hac vero ratione plerumque capiunt. In insulas quasdam & alia loca ad quae se recepisse ursos a venatione norunt, accedunt, ursi simulatque quempiam conspexerunt, fugiunt, & in proximas quae occurrunt arbores conscendunt, hos indigena persequuntur, & sagittis configentes ex arboribus deturbant, aut necatos, aut ita vulneratos, ut facile postea mactari queant. Nos etiam aliquando nostris sclopis eos deijciebamus.

Nomina collegi viginti & octo diuersorum generum Quadrupedum, quas per eam Prouinciam sparsas intelleximus, praesertim in media prouincia: harum duntaxat duodecim fuerunt nobis obseruatae: quae vero esui aptae sunt, eas solum cognouimus quarum supra meminimus. Indigena nonnumquam Leones occidunt & ijs vescuntur. Nos vero, eorum lupos & canilupos cum illos capere poteramus: nolui tamen inter quadrupedes, quae esui aptae sunt, recensere, ne quis me in his rebus, minoris esse iudicij, quam necesse sit, existimet: possem tamen saporis differetiam, quae inter illos & nostros est, in medium proferre, ex commilitonum quorundam nostrorum sententia qui utrosque degustarunt.

Aues.

PAVONES Americani cum femellis, Palumbi, Perdices, Grues,
Ardea

De commodis incol. Virginiae. 21

Ardeæ istic reperiuntur, & hieme frequentes cygni & anseres. Nomina omnium generis avium illius Provincia adnotata habeo sex & octuaginta, indigenarum sermone vernaculo, e quibus (præter supra dictas) nonnullas cepimus & comedimus: præterea penes nos sunt icones octo varij generis avium aquaticarum, & septemdecim avium fissipedum siue terrestrium, cum appellationibus quibus indigenæ eas insigniunt, multo tamē plures vidimus & edimus, quæ temporis penuria depingi non potuerunt. Cum vero melius instructi, & parati fuerimus ad plura observanda: omnia vobis exhibebuntur, cum quadrupedibus, piscibus, arboribus, fruticibus & herbis.

Istic etiam sunt Psittaci, Accipitres, Æsalones, quos tamen nunquam degustauimus: sed aliam ob causam meminisse volui.

Pisces.

Quatuor anni mensibus Februario, Martio, Aprili & Maio, Acipenseræ, & haleces (quorum nonnulli eiusdem magnitudinis cum nostris, plerumque tamen longe maiores, nempe octodecim aut viginti unciarum, interdum etiam duorum pedum vel supra) istic admodum frequentes, quibus etiam mensibus maxime commendantur, nos sane optimi saporis eos reperiēbamus.

Sunt etiam istic Trutæ, Turfiones, Raia, Mugiles, Passeres, multique alii pisces optimi saporis quos captos edimus, quorum nomina, mihi duntaxat cognita vulgari indigenarum idiomate: eicones præterea habemus duodecim generum piscium istic expressas cum eorum nominibus.

Duas habent indigenæ rationes capiendi pisces; una nascis ex arundine, quæ istic firmior est, confectis: altera magis peregrina est, fitque perticis extrema parte acuminatis, quas in pisces vibrant, ut Hiberni sua iacula, remis cymbam impellentes, vel per minus altas aquas gradiendo.

Habent etiam plerisque locis magna quantitate genera quæ sequuntur.

CANCROS marinos iis similes qui in Anglia capiuntur.

OSTREA varij generis, magna, parua, rotunda & oblonga, quæ reperiuntur in aqua marina, vel in stagnis marinis, sed in aqua marina capta longe præstantioris erant saporis quam alia, quemadmodum etiam apud nos.

MVSCVLOS præterea, cochleas marinas, & astacos.

SEEKANAVK, piscem testacei generis, circiter pedem latum, cauda crustacea & multis pedibus præditum ut cancer, oculis in dorso eminenti-

bus, boni saporis. Inuenitur in aquis marinis restagnantibus, & interdum secundum littus marinum.

Multae sunt Testudines terrestres & marinae, tecta densa testa: caput, pedes, & cauda, serpentis aut venenati alicuius animalis partes esse videntur, edules tamen sunt, quemadmodum & earum oua: nonnullae repertae fuerunt vlnam siue dimidiam orgyiam & amplius latae.

Hac habui quae dicerem de victu, quo toto eo tempore quo haesimus in Virginia visi sumus, atque etiam indigenae, quantum quidem obseruaui, aut meminisse possum, aut scripto dignum iudicaui.

TERTIA





TERTIA ET POSTRE-
MA PARS,

DE RELIQUIS RE-
BUS SCITV NECESSARIIS,

his qui in Virginia habitare volent. Breuis præ-
terea descriptio naturæ & morum In-
digenarum eius Prouin-
ciæ.

De commoditatibus rerum ad fabricas &
alias res necessariorum.



*UAE nunc declamanda restant, ad fabricas & alia me-
chanica opera attinent: veluti Arborum varia genera, ad
edificiorum, nauigiorum, aliarumque rerum fabricas, calx,
saxa, lateres: quorum postremorum nisi mentionem fecis-
sem, dubitassent nonnulli an istic reperirentur, vel negas-
sent maligni, istic inueniri.*

*Quercus elegantes, rectæ, præalta, & optima ad fabricandum materia,
frequentissima, & nonnullis locis vastæ admodum.*

*Frequentes Inglandes ut iam dictum est, quarum nonnullas octogin-
ta pedes longas, rectas, enodes vidimus, elegantes admodum ad opera facien-
da quatuor aut quinque orgyiarum.*

ABIETES, magnæ & præaltæ ad malos nauium.

RAKIOCK indigenis dicta arbor, facilis ad opera aliqua facienda, ex hac indigena nostri vicini, magna ex parte suos lintres fabricant, alvei instar, ignis duntaxat auxilio, & saxeæ securis, testeque: nos interdum conspeximus huiusmodi lintres seu $\mu\omicron\nu\omicron\epsilon\upsilon\lambda\alpha$, tam capacia, ut viginti viros vehere possent præter impedimenta multa. Cum vero ea arbores magna, alta, recta, tenera & levis materiæ sint, commodas fore ad malos nauium & ad alia opera existimo.

CEDRVS, lignum tenerum ad fabricandum, & commodum ad abacos, arcas, pyxides, spondas, testudinum tabulas, citharas, & alia pleraque ut ante dixi. Ex nostris nonnulli, qui loca quadam adierunt in quibus non fuit, cupressos se vidisse affirmarunt, quarum lignum maxime accommodum ad similia & alia opera, & magni precii est.

Corylus, e quo suos arcus conficiunt. *Aquifolia*, ad viscum parandum capiendis auibus, necessaria.

SALICES ad vimineas sportas & nassas capiendis piscibus Anglicano more idoneæ: licet indigenæ solis arundinibus utantur, quæ firmæ & lentæ cum sint, ad huiusmodi res sunt utiles admodum.

FAGI, & *Fraxini*, situlis & circulis faciendis idoneæ: ex his etiam aratæ & alia multa fabricari possent. *Ulmi* item & *Sassafras* arbores.

ASCOPO, arbor *Lauro* similis, cuius cortex calidus & acris est. Arborem illam *Occidentalis India* quam *Monardes Cassiam ligneam* appellat, valde refert.

Multa præterea sunt alia arbores peregrinae, quarum nomina ignota, nisi idiomate *Virginiano*, quarum enumeratione vobis molestiâ exhibere nõ est nunc necesse, cum ad fabricas, aliasq; res necessarias, satis multas retulerim. Pleraq; tamẽ adhuc restât, quæ sine dubio, ad cõmodos vsus conferri possent.

De *Saxis*, lateribus, & calce nunc agendum. *Litore* illo *marino* nostræ habitationi vicino, nulla saxa inuenimus (exceptis lapillis & silicibus quatuor inde miliaribus) præter ea quæ procul ex interiore *provincia* allata fuerant. Nonnullis nostris peregrinationib. obseruauimus varia saxa dura, & magnos silices, & peculiare saxi præduri genus marmoris simile, ex quo indigenæ securæ ad findenda ligna idoneas parant. Diligente tamen nostra inquisitione factum est, ut paulo ulterius in interiore regione magnâ omnis generis quantitatem inueniri intellexerimus, eorum tamen latomias ignorabant: nã cū non indigeant, illa non perquirunt: quia satis se habere putant, si in singulis familiis vnũ aut alterum, ad frangendas nuces, terendas testas, exacuendũs, & lapidearum securium aciem, habeant. Fossioni et non sunt addicti: nam scrobes duntaxat faciunt circiter tres pedes profundas, ideo
nihil

De commodis incol. Virginiae. 25

nihil mirum, si nullas latomias norunt, neque calcis saxa, quae tamen viciniore ipsis loco forsitan reperiuntur quam ipsi existiment.

Interea donec ea, vel aliae res necessariae, sint observatae abunde quibusdam locis inueniri, eorum penuriam vos, qui eius provinciae inquilini futuri estis, supplere poteritis, lateribus, quibus conficiendis multa argilla tenax variis provinciae locis reperitur: praeterea calcem ex ostreorum testis parata aliisque conchis vestis, pro eorum more qui insulas. Tenet & Shepy, aliaque varia Angliae loca inhabitant: nam similis calx perinde bona comperta est atque ulla alia. Ostreorum testa istuc frequentes, insuper varijs alijs locis. Praeterea secundum littus marinum stagnantes sunt aquae, quae multa milliaria in longitudinem, & tria aut quatuor in latitudinem patent, quarum fundum dimidio aut integro ad summum, pede aqua tectum, non alia re constat.

Hoc de saxis addere possum, nobilem virum ex nostris, circiter centum viginti milliariibus a nostra arce, ad collis latus aquis vicinum ingentem venam reperisse praeduri saxi.

De Natura & moribus Indigenarum.

Pauca dicenda restant de Indigenarum natura & moribus, ampliore narrationem in aliud tempus dilaturus: nunc duntaxat vobis indicare cupio, non esse metuendum, ut nobis qui istuc habitabimus, ullam molestiam exhibeant, aut negotium faceant: imo illi potius nos metuent & observabunt.

VILI chlamyde e cervinis pellibus parata, medium corpus involuunt, reliquis partibus nudi, magnitudine inter se differunt, quemadmodum nos in Anglia: nulla omnino arma habent ex ferro aut chalybe ad nos offendendum, & quemadmodum ea parari debeant, ignorant: eorum arma ad nocendum sunt duntaxat arcus ex corylo, & sagittae ex arundine, deinde stipites lignei plani, duorum cubitorum longitudine: ad tegendum vero, nihil praeter scuta ex arborum corticibus facta habent, & armaturam quandam ex bacillis filo intertextis.

Eorum oppida exigua, mari vicina, paucanumero, quorum nonnulla decem, aut duodecim aedes continent, aliqua viginti: maximum quod conspeximus supra triginta aedibus non constabat: muri si qui sunt, constant ex arborum corticibus palis colligatis, aut palis solis terra infixis coniunctim.

ÆDES structæ ex perticis summa parte in fornicem inflexis & colligatis, eadem ratione qua pergula fornicata in Anglicis hortis sunt, tectæ corticibus in multis oppidis, nonnullis autem, tegetibus aut storeis magna ex parte scirpo contextis, a summo ad iumfastigio ad ium; earum longitudo plerumque latitudinem bis superat, nonnunquam sex & octo orgyiarum, seu 12. & sedecim vlnarum Anglicanarum, licet aliquas viderimus, quæ duodecim orgyiarum longitudinem equarent.

Quibusdam locis, *WIROANS* siue *Regulus*, unicum oppidum in sua potestate habet: alibi bina aut terna; nonnullis sex, octo, & plura: potentissimus qui cum nobis negotium fuit, plura non habuit quam decem & octo suo imperio subiecta, ex quibus ad summum septingentos vel octingentos ad bellum aptos colligere potuisset. Singula *Præfectura* idiomate inter se variat, & quo maiore locorum intervallo sunt inter se discretæ, tanto maior est idiomatis diuersitas.

Eorum bella sunt subitis incursionibus, & plerumque sub noctis crepusculum, vel ad Luna splendorem, vel alioqui structis insidijs, aut stratagemate aliquo. Raro acie decernunt, nisi ubi frequentes sunt arbores, post quas utriusque, emissis arcu sagittis abdere sese queant.

Si forte bellum inter nos & ipsos suboriretur, qualis illius futurus esset exitus, cum nos tam variis modis illos superemus, veluti disciplina militari, armorum & aliarum rerum ratione, facile estimari potest ex ipsa experientia aliquot locis facta, ubi securiora ad se tegendum arma ipsis fuerunt, celeris fuga.

Misera est plebs, nobiscum collata, & quæ ingenii & iudicii penuria in rerum nostrarum notitia & usu, nostras quisquillas pluris estimat, quam res magni precii. In iis tamen quas faciunt rebus, si eorum defectus cõferatur cum nostra abundantia, apparent admodum ingeniosi & industrii: licet instrumentis careant nostris similibus, nec eam habeant industriam, neque artem & scientiam quam nos. Rebus igitur omnibus exacte perpensis, nostræ scientiæ & artes, longe eorum industriam excellere deprehendentur, faciliusque in actum perducentur. Propterea tanto verisimilius est illos nostræ benevolentia & amicitia cupidiores, atque ut nobis placeant & obsequantur avidiores futuros. Sperandum ergo esset, si humaniter & amice cum eis agatur, breui ad civiliorem vitæ rationem, & ad veram religionem amplectendam, traducendos: nam iam aliquam Religionem profitentur, licet a vera alienam: qualiscunque tamen sit, spes esset tanto facilius illam reformatum iri.

Multos Deos credunt, quos *ΜΟΝΤΟΛΕ* appellant, diuersorum
tamen

De commodis incol. Virginiae. 27

tamen generum, & ordinum: unum solum primarium & magnum Deum qui fuerit ab aeterno. Is (ipsis asserentibus) mundum conditurus, initio creauit alios deos primarii ordinis, ut essent tamquam media & instrumenta, ipsi subseruientia cum ad creationem, tum ad gubernationem: deinde Solem, Lunam, & stellas tamquam Semi-Deos & instrumenta alterius ordinis praecipui. Dicunt aquas primum omnium esse factas, ex quibus Dij omnes creaturas visibiles & inuisibiles condiderunt.

Ad hominis generationem quod attinet, dicunt mulierem primum fuisse creatam, quae ex unius ex Deis congressu concepit & genuit liberos. Inde se originem ducere perhibent. Quot vero anni & secula inde praeterierint, ignorant, cum literis & similibus adminiculis careant, nobis familiaribus ad temporum aetates consignandas: sed quae de his rebus sciunt, ex parentum traditione liberi acceperunt.

Omnes Deos humanam naturam habere putant, ea de causa imaginibus humanae formae illos exprimunt, eosque *Κεωαςόωοκ* appellant, unicus *Κεωας* est dictus. Illis proprias ades siue templa dicunt, quae *Machicómuck* nominant, in quibus sunt preces, cantus, & per multos dies oblationes ad ipsorum Deos. In quibusdam templis nos unicum *Κεωας* obseruauimus, in aliis binos, aliquando tres. Vulgus etiam pro Diis habet.

Animae immortalitatem et credunt, eam statim atque a corpore soluta est, transferri secundum opera quae fecit, vel ad Deorum sedes ad perpetuam felicitatem fruendum, vel ad ingentem fossam seu scrobem (quam in extremis mundi finibus procul ab ipsis versus occidentem sitis esse censent) ad perpetuum ignem: eum locum ipsi *Πορογυςσό* appellant.

Ad huius opinionis confirmationem, bina exempla mihi retulerunt de duobus viris qui ab obitu denuo vita sunt restituti. Unum paucis, ante nostrum in eam prouinciam aduentum, annis contigerat in scelerat o quodam viro, qui cum a morte sepultus fuisset, postridie tellus, in qua conditus fuerat, moueri cepit: terra erutus, indicauit animam pene in *Πορογυςσό* coniectam, nisi Deorum quispiam eam liberaisset, atque concessisset ut ad suos rediret declaraturam quae agenda essent, ne in barathrum illud conijcerentur. Alterum eodem anno accidit quo istuc appulimus, in oppido sexaginta miliaribus a nostro propugnaculo distante: vir quidam a morte sepultura traditus, deinde terra erutus, ut prior, affirmabat animam suam viuere; licet corpus in scrobe sepultum iaceret, illum iter fecisse procul admodum per viam longam & latam utrimque elegantissimis arboribus consistam, adeo raros & excellentes fructus ferentes,

ut similes antea neque conspexisset, neque exprimere quales essent posset, tandem ad splendidas aedes peruenisse, apud quas patrem suum reperisset antea defunctum, qui illi expresse praecepit ut rediret, & amicis significaret quae bona ipsis essent agenda, ut eius loci delitiis frui possent, quo peracto, denuo ad se reuenteretur.

Quacunque tandem subtilitate praediti sunt Reguli & Sacerdotes, ea tamen opinio multorum plebeiorum animis ita insedit, ut maiore in reuerentia suos Praefectos habeant, & maiore sollicitudine sua negotia peragant, ut tormenta a morte effugiant, & felicitate frui possint. Pœna nihilominus in peccantes sunt instituta, veluti in fines, mœchos, & alios sceleratos homines: nam aliqui morte puniuntur, aliis multa irrogatur, alii verberibus caduntur, pro peccatorum, quae commissa sunt, magnitudine.

Hæc est Religionis eorum summa, quam a nonnullis ipsorum sacerdotibus, quibus familiarior eram, didici: in qua tamen non erant adeo firmi, neque tantum tribuebant suis traditionibus & historiis, quin nostra familiaritate & colloquio dubii admodum redderentur in suis opinionibus, & nostras valde admirarentur, & in multis desiderium nasceretur plura discendi quam ipsis exprimere possemus eorum lingua.

Apud nos plurima conspexerunt, veluti Mathematica instrumenta pyxidem nauticam, magnetis vim ferrum ad se attrahentis, vitra varias rerum imagines referentia, vrentia specula, incendiarios siphones, sclopos ferreos, libros, eorum scripturam & lectionem, horologia sonantia quae sponte moueri credebant, & pleraque alia, quae adeo illis erant peregrina, tantumque mentis illorum captum superabant, ut qua ratione ea fabricata essent, assequi nescirent: propterea illa censebant Deorum potius esse opera, quam hominum, velsaltem a Diis nobis donata, & demonstrata. Inde factum, ut eorum plurimi talem de nobis conceperint, opinionem, ut nisi se veritatem & religionem amplecti sibi persuaderent, eam potius a nobis petendam, quos Deus adeo charos habebat, quam a rudi & imperita plebe, qualem se agnoscebant facta sui cum nobis comparatione. Propterea in tali materia maiorem nobis adhibebant fidem.

Sapiuscule in singulis ad quae perueniebam oppidis, pro mea facultate & quantum tempus permittebat ipsis declarabam, quae in Bibliis continebantur: in illis doceri verum & unicum Deum, ipsius in operibus omnipotentiam, contineri etiam veram doctrinam saluationis nostrae per Jesum Christum, referebam deinde miracula, & primaria nostrae religionis capi-

ta. Ad-

De commodis incol. Virginiae. 29

ta. Adiciebam præterea, materialem illum librum ex se nulla virtute esse præditum, ut conijcere poteram ipsos existimare, sed quæ in illo contineretur, doctrinam. Plurimi tamen manibus tractare, amplecti, osculari, ad pectus, caput, & reliquas corporis partes applicare voluerunt, ea ratione demonstrare cupientes summum quo flagrabant desiderium, ea quæ illis proposueram cognoscendi.

WIROANS siue Regulus cum quo habitabamus WINGINA nuncupabatur: plurimi ex eius subditis libenter nobiscum versabantur, ut nostris precibus interessent, sæpe in suam urbem inuitabant, & ad alias perducebant interdum, ad preces fundendas & Psalmos canendos, sperantes ista ratione participes fieri earum rerum, quas nos expectabamus.

Is WIROANS bis grauissime egrotauit, cum ita langueret, nec vllum auxilium a suis sacerdotibus speraret, atque existimans se in hoc graui periculo versari, quod nos & Deum nostrum offendisset, aliquos ex nostris accersit, ut Deum orarent, ipsi placeret, vel pristinam valetudinem ei restituere, vel post mortem, ad se euocare ut cum ipso in felicitate viueret. Plurimi alii agri idem a nobis postulabant.

Semel marcescebat & corrumpebatur eorum frumentum ob nimiam siccitatem quæ præter spem inciderat, metuētes ne propter iniuriam aliquam nobis ab ipsis illatam id contigisset, plurimi ad nos venerunt, postulantes nostrum Anglicanum Deum oraremus, segetes illorum conseruare vellet, se, ubi maturuissent, participes earum nos facturos.

Nullus umquam morbus, nihil damni aut sinistri ipsis accidebat, quin causam reijcerent, vel quod nos aliqua in re offendissent, aut nullum beneficium in nos contulissent.

Alium rarum & admirabilem casum, reliquis omiſſis, referam, antequam finem dicendi faciam, quo omnes indigenæ qui nos norant, aut qui de nobis aliquid intellexerant, excitati sunt, ut nos summa in æstimatione haberent. Res autem sic habuit. Nullum oppidum in quo clandestina aliqua consilia aduersus nos inita fuissent (nobis nullas pœnas vindictæ causa ab eis reposcentibus, quia omnes rationes quærebamus quibus humanitate illos pelliceremus ad nostram amicitiam) immune abiit, quin paucis a nostro inde discessu, diebus plurimi ex plebe breui tempore perirent, nonnunquam viginti in vno oppido, in alio quadraginta, sexaginta, etiam centum & viginti, magnus certe numerus pro incolarum raritate. Id vero nullibi contingebat, ut intelleximus, nisi in iis oppidis in quibus versati eramus,

Et aliquid contra nos machinati essent, idque postea. Fuit hic grauis morbus, quem ipsi ignorabant, nec quibus remediis curari posset norant, & cui similem numquam antea conspectum seniores quique referebant, peculiariter a nobis obseruatus, & ab ipsis etiam indigenis. Sic ut nonnulli ex nostris amicis, praesertim vero WIROANS WINGINA, cum obseruassent similes effectus in quatuor aut quinque oppidis, in quibus sinistra aduersum nos inierant consilia, sibi persuaderent vindictam esse diuinam nostra de causa, & quod Dei nutu, quos vellemus, sine armis, occidere & verberare possemus, tametsi ad illos non accederemus.

Eam ob causam, cum intelligebant nos a quibusdam eorum hostibus iniuria affectos in nostris peregrinationibus, nec nos de ipsis vindicasse, licet, arma haberemus, metuentes ne res sic impune abiret aliquam ob causam, rogabant nos, ut cum nostro Deo ageremus, ut eos occideret, quemadmodum alios occiderat qui nobis nocuerant: futurum enim id nobis magno decori & utilitati, atque etiam ipsis: se porro sperare, id ipsorum causa facturos, pro ea amicitia qua illos amplectebamur.

Illos vero admonuimus, similes preces Deo non esse gratas: ipsum enim huiusmodi precibus non velle adstringi: omnia quidem facta esse, & fieri posse, sed secundum ipsius voluntatem, & prout statuerat: nos propterea ut ipsa re ostendamus nos esse veros eius cultores, potius contrarias preces concipere debere, ut videlicet illi, & ipsi nobiscum quiete simul viuere possimus, ut ipsius veritatis participes fiamus, & illi in omni aequitate seruiamus, committentes tamen earum & reliquarum rerum euentum diuinae ipsius voluntati, & ut pro sua sapientia conuenire statuit.

Sed quia res illico post successit ex eorum animi sententia, nostris precibus id contigisse arbitrati sunt, atque nostras admonitiones fuisse dissimulationis plenas: eam ob causam pro gentis ritu gratias egerunt; licet enim pollicitatione ipsis non satisfacissemus, ipsorum tamen desiderii esse satisfactum.

Hic admirabilis casus, in omnium indigenarum mentibus tam mirabilem de nobis opinionem impressit, ut aliquot populi quid dicerent aut cogitarent de nobis ignorarent, dii ne essemus an homines: praesertim cum animaduertent toto illo morbi contagiosi tempore, neminem ex nostris occubuisse, aut grauiter egrotasse: obseruarunt etiam nos nullas habere feminas, nec ipsorum uxores appetere.

Inde nonnulli coniciebant nos a mulieribus non esse genitos, idcirco
immorta-

De commodis incol. Virginiae. 51

immortales; sed esse ex veteri quadam prosapia ante multa secula oriundos, & ad immortalitatem excitatos.

Quidam etiam pradicere velle videbantur, alios nostri generis aduenturos ad ipsos occidendum, & eorum oppida occupandum: id autem conciebant aliqui ex rei quae acciderat euentu.

Existimabant eos qui breui nos subsequerentur, in aere adhuc versari inuisibiles & incorporeos, atque illos in nostram gratiam, plebem occidere, immisis in eam glandibus plumbeis inuisibilibus.

Ad opinionem hanc confirmandam, ipsorum medici, quo suam imperitiam in morbis curandis tegerent, adeo impudentes erant, ut non modo dicere non vererentur, sed etiam infimae plebi persuaderent, se ex agrorum venis glandes plumbeas iniectas & infixas cum sanguine exugere.

Non deerant etiam qui putarent nos ipsos ex nostra habitatione, aneis nostris tormentis, plebem occidere pro nostro arbitrio, in quocumque tandem oppido versarentur, ubi iniuria fueramus affecti, quantacumque inter nos & illos esset distantia.

Alii vero censebant verum Dei esse opus, in nostram gratiam: & nos sane aliquam habemus occasionem idem sentiendi, licet nonnulli contra starent, praesertim Astrologi ex Solis eclipsi quae nobis anno precedente apparuerat, dum eo nauigaremus, & ipsis etiam indigenis valde atrox conspecta fuerat: praeterea ex cometa qui conspectus est paulo ante initium morbi praedicti. Sed negamus primarias fuisse causas, tanti accidentis cuius longe maiores fuerunt occasiones, quas nunc proferre non conducit.

Eo amplioem de his opinionibus narrationem institui, ut cognoscere possitis magnam esse spem eos perducendi ad humaniorem vitae rationem ad amplectendam veritatem, denique ad exhibendum nobis honorem & obsequium, nosque metuendos & amandos.

Licet vero nonnulli ex nostris circiter anni finem, timorem ipsis iniungere voluerunt casis ex plebe quibusdam, in aliquot oppidis ob causas quae facile negligi potuissent; quia tamen promeriti erant, metuendum non est, eos vel publice vel priuatim deposituros eam opinionem quam de nobis conceperunt. Qualescunque tamen futuri sint, modosimus prouidi, nihil plane nobis metuendum est ab ipsis.

Optima autem cum in his, tum in omnibus aliis actionibus est expectatio & spes, vel ut etiam pessime cadat, rerum quae demonstrari possunt noticia & consideratione.

P E R O R A T I O.

Nunc vobis narrationem instituisse spero, non de paucis & paruis rebus, sed de prouincia qua a viris humanis, nec nimium difficilibus & morosis, satis fecunda iudicabitur, et si nihil præter ea quorum mentionem feci, esset obseruatum; quæ tamen re vera non sunt comparanda cum his, quæ adhuc obseruanda restant, nec soli, nec commoditatum ratione, ut conijcere possumus ex differentia, quam in nostris peregrinationibus obseruauimus. Cum enim ea omnia, quorum memini, sint obseruata non procul a litore maris, ubi nostram habitationem habuimus, & secundum quod nostra peregrinationes maiore ex parte sunt institutæ: interdum tamen in interiora regionis penetrantes, obseruauimus arbores ob raritatem crassiores, solum magis pingue, solidius, & diligentius excultū, fungos ampliores, gramen latius, & Anglicano bonitate non cedens: quibusdam autem locis regionem abundantem rupibus & scopulis, & magis montosam, frugibus & animalibus abundantiore, & cultiore populo habitatam, ampliora Domina, oppida & adificia maiora.

Cur ergo bona spe freti, interiora regionis, magis culta, & alia pleraque inuestigatum non imus, quemadmodum ea quæ iam a nobis sunt obseruata? Idem enim fecerunt Hispani, interiora occidentalis Indiæ peruestigantes. Sic etiam interiora Virginia patent, interdum in longitudinem & latitudinem multa centena milliaria: nam ex indigenarum relatione certo comperimus, nullum Christianum Principem eo suos terminos protulisse. Fieri ergo nequit, quin istic sint plurimæ commoditates, quas in nostris peregrinationibus nondum obseruauimus.

Quid porro sperandum sit ex natura climatis, quod respondet insule JAPAN, Sinarum regioni, Persiæ, Syriæ, insulis Cypri & Cretæ, & Græciæ, Italiæ, & Hispaniæ parti Meridionali, aliisque celebribus prouinciis, vestro iudicio (ne vos tædio afficiam) relinquo.

Fieri itaque non potest, quin satis abunde intellexeritis, qualis sit aeris temperies omni anni tempore, longe videlicet calidior quam in Angliæ, & numquam adeo feruida, ut interdum est sub Tropicis, inter Tropicos, & locis illis vicinis.

Ad regionis salubritatem quod attinet, nihil est quod dicā: nisi annonæ, præsertim Anglicarū esearum, exceptis viginti diebus, penuria, vixisse nos solo aqua potu, & eius regionis cibus, qui nobis interdum adeo erant insoliti, ut quis existimare potuisset in grauem aliquē morbū incursum ob temperaturam nostri corporis immutatam: deficiunt et ea adminicula, quæ in Angliæ inueniuntur, ad capiendas aues, quadrupes & pisces sunt necessaria, propterea solo indigenarū auxilio, neq; tam propere, neq; adeo facile, neq; tam abundan-

abundanter, neque tali delectu potuimus annonam necessariam comparare, atque fecissemus, si omnia quae requirebantur ad nutum, & pro nostra voluntate habuissemus. Panni etiam penuriam passisumus. Deinde in nostris omnibus profectioibus, quae magna ex parte hieme fuerunt instituta, nostrum cubile fuit humi & sub dio. Nihilominus ex toto nostro cœtu (qui centum & octo viris constabat) quatuor duntaxat annuo spatio, atque sub finem occubuerunt, neque praedictas ob causas: nam omnes quatuor, praesertim tres, iam debiles & valetudinarii erant antequam in eam regionem peruenirent: imo qui eos nouerant, plurimum mirabantur eos tam diu viuere, eorum statum considerantes, quodque eam profectioem suscepissent.

Cum igitur istic sit aer adeo temperatus & sanus, solum tam fertile, & reperiantur commoditates supra dictae, facileque adeo sit iter, ut, quemadmodum experientia constat, ter in anno, quocumque tempore absolui possit: deinde Generosi Domini Walteri Raleigh liberalitas in diuisione agrorum sit cognita tam magna (nam non minus dedit uni viro, in ipsius duntaxat usum, quingentis terra iugeris) praeter multa alia adminicula quae ille liberaliter confert: spero nullam occasionem relictum iri, cur actio impediatur, aut omnino deseratur. Modo qui in Virginiam iter instituent ad istic habitandum, omnibus rebus mediocriter instructi sint in primum annum, ut qui postremo eo profecti sunt, & curam atque diligentiam necessariam, cum istic erunt, adhibeant, quod facile prestare poterunt: non dubium est quin in posterum, colligant victui necessaria optima & magna quantitate: deinde aliquot pecudum genera transuehi eo poterunt Deo volente, ut quae ante transuecta fuerunt, e quibus aliqua adhuc restant. Similiter nostrorum fructuum genera, radices, & herbae etiam seri & plantari poterunt, quemadmodum iam quidam periculum fecerunt. Et exiguo tempore colligi poterunt supradictae commoditates, quae ipsos cum iis quibuscum negotiabantur, locupletabunt.

Hi sunt meorum laborum fructus, quos vobis cognitu necessarios nunc esse iudicavi.

De natura porro & ritibus indigenarum Virginiae, de numero nostrorum peregrinationum & earum singularibus, de illorum actionibus qui Generosum D. WALTERVM RALEIGH in eam regionem comitati sunt, & aliquod munus habuerunt, quorum sane plerique digni ut eorum celebretur memoria, tamquam qui primi inuestigatores sunt eius provinciae: de nostro tum temporis Imperatore D. RICHARDO GREINVILE,

34 Breuis & fida Narratio Virginiae.

& de nostro, ab eius discessu, Praefecto RAFO LANE, alisque pluribus qui sub eorum imperio munere aliquo functi sunt: de Centurionibus, & Naucleris earum peregrinationum, quae postea instituta sunt transuehendi supplementi gratia: de Praefecto & Assessoribus eorum, qui iam ante eo traducti fuerant, de plerisque praeterea accidentibus & aliis rebus, narrationem conscripsi Historiae instar, additis temporum momentis, quem publicam lucem videre, permittam, cum commodum esse iudicabo.

Itaque meam Narrationem beneuolo vestro iudicio permittens, & actionis prosperum euentum expectans ab eo quem nouimus auctorem, & gubernatorem non modo huius actionis, sed etiam omnium aliarum rerum: vobis valedico,

hoc mense Februario anni

1588.

VIVÆ



VIVAE IMAGINES
ET RITVS INCO-
LARVM EIVS PROVINCIAE
IN AMERICA, QVAE VIRGI-
NIA APPELLATA EST AB ANGLIS, IVSSV


Magnifici Viri D. WALTERI RALEIG, Equitis & Praefecti fodinarum
Stanni in Cornuwallia & Exonia, profectis anno cIo Io xxcv.

ad obseruandas nouas Prouincias, permisso & aucto-
ritate Serenissimæ Reginae Angliæ
Elizabethæ.



OMNIA DILIGENTER OBSERVATA, ET
*ad viuum expressa a JOANNE WITH, eius rei gratia in illam
Prouinciam annis 1585 & 1588. misso: Deinde in aes
incisa, & primùm in lucem euulgata a THEO-
DORO DE BRY.*

VIVAE IMPERATORIS
ET RITVS INCO
LARVM FIVS PROVINCIA
IN AMERICA OVAE VEGI
NIA APPELLATA EST IN ANGLIA
MAGNITUDO. PARS HUIUS
SOCIETATE CONSTITUTA EST
AD QVODAM ANTIQVVM
SOCIETATE CONSTITUTA EST
SOCIETATE CONSTITUTA EST



OMNIA DILIGENTER OBSERVATA ET
RECORDATA FVIT IN ANGLIA
PROMISSUM EST QVOD
SOCIETATE CONSTITUTA EST
SOCIETATE CONSTITUTA EST

RPJCB



I N D E X

O M N I V M C A P I

T V M I N H A C P A R T E

Virginiae historiae De incolarum ritibus contentorum.

- I. Tabula generalis totius regionis situm ob oculos ponens.
- II. Anglorum in Virginiam aduentus.
- III. Regulorum aut Principum in Virginia ty-
pus.
- III. Nobilis Matrona ex Secota.
- V. Sacerdos Secotensis.
- VI. Nobilis Virgo ex Secota.
- VII. Proceres Roanoack.
- VIII. Nobilis Matrona Pomeioocensis.
- IX. Senis Pomeioocensis hiberna vestis.
- X. Vt Matronæ Dasamonquepeuc libetos ge-
stant.
- XI. Præstigiator.
- XII. Lintrium conficiendorum ratio.


- XIII. Incolarum Virginiae piscandi ratio.
- XIIII. Crates lignea in qua pisces vstulant.
- XV. Fictilium Vasorum in quibus cibum co-
quunt forma.
- XVI. Sumendi cibum modus.
- XVII. Solenne festum ad ignem celebrandi ratio.
- XVIII. Virginiensium saltandi ratio solennibus fe-
stis.
- XIX. Oppidum Pomeioock.
- XX. Oppidum Secota.
- XXI. Idolum Kiwasa.
- XXII. Regulorum Sepulcra.
- XXIII. Aliquot Heroum Virginiae Notæ.



RPJCB



Beneuolo Lectori S.



TAMETSĪ, amice Lector, homo per inobedientiam spoliatus sit iis bonis, quibus a Deo fuerat in creatione ornatus, prudentia tamen non fuit priuatus, qua sibi consulere, neque sapientia, qua quidquid in suum vsum necessarium sit, excogitare possit; iis exceptis, quæ ad ipsius salutem pertinent, vt ex his feris nationibus colligere licet, de quibus in hoc libro est sermo. nam licet nullam DEI, eiusque sacri verbi notitiam habeant. sintque omnis litteraturæ ignari: nos tamen in multis rebus superant, veluti victus sobria ratione, & ingenii dexterritate in conficiendis sine ferreo aliquo, aut alio instrumento, rebus tam nitidis & venustis, vt fidem superare viderentur, nisi Angli eius fecissent periculum suis in eorum prouinciam peregrinationibus.

Cum vero res sit admiratione digna, volui hoc libro vobis proponere veras eorum picturas, quas imitatus sum ex archetypo, mihi opera Domini Richardi Hackluyt Oxoniensis, verbi Dei Ministri, (qui eam regionem vidit, & auctor fuit, vt hic liber in publicum prodiret) communicato ab Ioanne With pictore Anglo, qui in eandem regionem missus fuit a Ser^{ma} Regina Angliæ, solummodo vt illius topographiam faceret, incolarum formam, amictum, victus rationem, moresque ad viuum exprimeret, non exiguis sumtibus Generosi Equitis Domini WALTERI RALEIG, qui plurimum impendit in exquirenda & perlustranda ea regione ab anno 1585. vsque ad finem anni 1588.

Hic porro Liber, qui de ea NOVI orbis parte agit, quæ ab Anglis VIRGINIA appellata est, primus est quem lucem videre permitto, amicis id a me postulantibus, ob rei recenter transactæ memoriam: licet præ manibus habeam Floridæ historiam, quæ primum locum obtinere debebat, cum longe ante Virginiam sit a Gallis inuenta. Breui tamen eius etiam historiam publicam facere spero, historiam reuera adeo raram, vt similem non conspectam aut auditam existimem. Londini vtramque accepi, & huc Francofurtum attuli, vbi ego cum meis liberis sedulam operam nauauimus sculpendis & exprimendis in æs figuris, cum res sit non exigui momenti. Quod ad vtriusque Narrationem attinet, nobilis viri, mei amici beneuola opera factum est, vt politiore Gallico sermone, & Latine loquatur.

Denique rogatum te volo, ne, si quis meos hos libros imitari instituat (adeo enim nunc sunt plerique maligni ingenii, vt ex aliorum labore quæstum facere cupiant) fides iis libris imitatis adhibeatur: nam in meis Iconibus latent quædam secretæ notæ, quæ nisi rite obseruentur, magnam perturbationem parient.


The [Faint Title]

[Faint, illegible text in the upper section of the page, possibly a preface or introductory paragraph.]

[Faint, illegible text in the middle section of the page, possibly a list or table of contents.]

[Faint, illegible text in the lower section of the page, possibly the main body of the document.]


RPJCB



*Autore Ioanne With
Sculptore Theodoro
de Bry, Qui et excud*

VIRGINIA
SECO-TAN

Promontorium tremendum



Scala leucarum . 25
5 10 15 20 25
Scalle of . 25 . leagues





Americæ
 pars, Nunc Virginia
 dicta, primum ab Anglis
 inuenta, sumtibus Dni Walteri
 Raleigh, Equestris ordinis Viri
 Anno Dni M. D. LXXXV regni Vero
 Sereniss. nostræ reginæ Elisabethæ
 XXXVII
 Hujus vero Hifforia peculiari
 Libro descripta est, additis
 etiam Indigenarum
 Iconibus

C H A W A

N O G O K I

A

W E A P E

Chepanuu M E O C Chesepiooc Apasus

Comokee

OCCIDENS

MERIDIES

SEPTENTRIO

ORIENS

Ohaunooch

Ramushouing

Catokinge

Waratan

Mascoming

Skicoak

Chesepiooc sinus

Pasquenoke

Trinety harbor

RPJCB


Anglorum in Virginiam aduentus. II.



VIRGINIAE maritima Insulis abundant, quae difficilem admodum praebent in eam regionem aditum: nam licet frequentibus & laevis interuallis sint inter se discretæ, quae commodum ingressum polliceri videtur, magno tamē nostro damno experti sumus vadosa esse & undarum breuibus infesta, nec unquam interiora penetrare potuimus, donec multis & variis locis minore nauis periculum faceremus: aditum tandem inuenimus loco quodam nostris Anglis bene cognito. Ingressi igitur, & navigatione aliquamdiu continuata, magnum flumen obseruauimus, è regione praedictarum insularum se exonerans, quod tamen subire non licuit, ob angustias, arenarum astu replente eius ostium. Longius igitur navigationem prosequuti, ad magnam insulam peruenimus, cuius incolæ, nobis conspectis immensum & horridum clamorem tollere cœperunt, utpote, qui homines nobis similes numquam antea conspexissent, & in fugam se coniicientes, ululatibus ferarum, vel furiosorum ritu omnia complerunt: sed amice reuocati, propositisque nostris mercibus, veluti speculis, cultellis, pupis, & aliis quisquiliis, quas ipsis gratas futuras existimabamus, substiterunt, & obseruata nostra beniuolentia atque amicitia, blanditi nobis, & de aduentu gratulati sunt: deinde in suam urbem ROANOAC nomine, atque adeo ad suum WEROANS siue Regulum deduxerunt, qui satis humaniter nos excepit, nostro tamen conspectu attonitus.

Talis fuit noster in eam NOVI orbis partem, quam VIRGINIAM appellamus, aduentus: cuius incolarum staturam corporis & ornatum, victusque rationem, festa, & conuiuia, sigillatim vobis proponam.

Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Additional faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.


Regulorum aut Principum in Virginia typus. III



PRINCIPES Virginiae eo quo in hac figura exprimitur modo, in publicū procedunt. Promissam alunt capitis comam, extremos crines in nodum sub aurem colligantes: summum tamen verticem à fronte ad occiput cristæ gallinacæ in morem tondent, oblongam volucris cuiuspiam elegantis coloris plumam, ad cristæ supra frontem initium imponentes, & ad singula latera pone aures breviorē. Auribus appendent vel crassiusculos uniones, vel aliud quidpiam, veluti magnæ alicuius avis pedem, prout illis in mentem venit. Præterea frontem, malas, mentum, ipsum etiam corpus, brachia & crura vel puncturis ornant, aut pingunt, alia tamen, quam Florida incolæ, ratione: Torquem ex unionib. aut globulis ex ære, quod ipsi magni faciunt, in collo gestant, & ex iisdem armillas in brachiis. Sub pectore proxime alium notæ apparent, ubi sanguinis missionem facere solent, cum morbo corripiuntur: anteriori corporis parti feræ cuiusdam pellem eleganter concinnatam sic applicant, ut illius cauda post nates propèdeat, pharetram gestantes e tenui iunco contextam, una manu arcum tensum, altera sagittam tenentes, ad defensionem parati. Eo ornatu incedunt vel in bellum, vel ad solenne aliquod festum & celebre conuiuium profecturi. Ceruorum venatione plurimum delectantur, quorum magna copia in ea Prouincia: nam fecunda est, amœna & syluosa. Fluminibus etiam abundat varii generis piscibus plenis. In bellum profecturi, colore quoque corpus quam maxime horrendum possunt in modum pingunt.

A

III. *[Faint, illegible title text]*



RPJCS

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



SECOTA Matrona satis elegantis sunt forma: in publicum prodeuntes, manus decussatim pendulas tenent, amicta pelle elegantissime preparata, quae ab umbilico ad femora media propendet, & posteriora etiam tegit: reliquo corpore nuda. Anteriores capilli resecti, reliqui satis breues, rari, & molles per humeros sparsi sunt, corollam capiti impositam gestantes. Frons, malle, mentum, brachia & crura, puncturis ornata: collum torques aliquis pueris insignitus aut pictus, cingit. Paruis oculis sunt praedita, naso plano & lato, breui fronte & amplo ore: magna ex parte auribus adpendent monilia ex oblongis unionibus, vel perpolito aliquo ossiculo; ungues autem earum non sunt longi ut mulierum quae Floridam prouinciara incolunt. Delectantur etiam deambulatione in agros & secundum stumina, ad obseruandum ceruorum venationem & piscium capturam.

1750

The following is a list of the names of the
 members of the Society of the Friends of
 the Truth, who have been admitted to
 membership since the last meeting of the
 Society, on the 1st of January, 1850.
 The names are given in the order in which
 they were admitted, and are followed by
 the date of their admission, and the name
 of the person by whom they were
 admitted. The names are given in
 full, and are followed by the name of
 the person by whom they were
 admitted. The names are given in
 full, and are followed by the name of
 the person by whom they were
 admitted.

2 10

6

Sacerdos Secotensis.

V



5

G. VEEN

IN S D E M oppidi Secota Sacerdotes satis senes sunt, & rerum magis, ut apparet, periti: in capitis vertice crines crista in modum resectos habent ut ceteri, sed reliqui crines attonsi sunt, illis exceptis qui supra frontem nascuntur limbi petasi in modum: aliquid praeterea in auribus appensum habent. Chlamyde teguntur ex elegantibus pellibus confecta, pilis extorsum obuersis: reliqua parte corporis nuda. Insignes sunt Magi, & delectationis gratia flumina frequentant ad arcu petendas & capiendas anates sylvestres, cignos & alias volucres.

A 3 ²⁶



VIRGINES nobiliores eodem plane modo amictæ sunt ut supra memorata Matrone, nisi quod torquis loco crassiores uniones rotundos, quibus minores globuli ex ære, aut osse perpolitato permixti sunt, collo appensos habent: frontem, malas, brachia, crura punctiunculis ornant: capilli supra frontem duplici serie resecti, reliqui pone occiput in nodum collecti; amplum os, oculi satis decori, manus plerumque humeris applicatæ, & ubera in virginei pudoris signum tegentes: reliquo corpore nudæ, ut ex pictura videre licet. Voluptatem etiam capiunt e piscium captura quæ fit in amnibus.

Muscle Nerve Junction



RPJCB

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized into several lines, possibly describing the anatomical structures shown in the drawings above.




M
AGNATES & Proceres Insulae atq; oppidi ROANOAC, verticis capitis crines crista instar
 etiam resectos habent ut cateri, reliquos promissos alunt ut feminae, & in nodum pone occi-
 put colligant. filo traiectos uniones auribus appendunt, & ex iisdem aut sphaerulis, aereis, of-
 seve laevigato, armillam in brachio gestant, neque se pingentes neque pungentes: sed in au-
 thoritatis & praecellentiae signum torquem crassis unionibus vel aereis globulis vel ossiculis
 ligatis constantem e collo suspendunt & aream tabulam quadratam filo traiectam. Pelle eleganter
 ornata & simbribus ornata, ab umbilico ad media usque femora anteriora & posteriora tegunt ut femi-
 nae. Brachia etiam decussatim complicata tenent in ambulantes aut cum alio sermonem conferentes, pru-
 dentiae signum. Est vero ROANOAC insula valde amœna & piscibus abundans, aquarum quae illam cingunt,
 insula.



(The text in this section is extremely faint and largely illegible. It appears to be a block of Latin text, possibly a description or a list of items related to the illustration above.)



IRCITER viginti ab ea insula miliaribus, proxime lacum PAGVIPPE, aliud est oppidū
 POMEIOOC nuncupatum, mari vicinum. Eius oppidi nobiliorum matronarum amictus
 paululum ab illarum quæ in ROANAC viuunt vestitu differt: nã capillos in nodum imple-
 xos gerunt ut virgines iam dictæ, eodemque modo sunt punctæ, torque tamen crassiorum
 unionum aut arearum spherularum, ofsiculorum ve perpolitiorum quinquies aut sexies
 illum cingunt, in eo alterum brachium imponentes, altera manu cucurbitam suau quodam liquore ple-
 nam gerentes. Alius reliquis & sub pectore pelles duplicatas cingūt, quæ anteriore parte ad genua vsque
 propendent, posteriore parte propemodum nude. Pone sequuntur plerumque illarum filiola septennes
 aut octennes, coriaceo cingulo cinctæ, quod a tergo propendens sub natibus inter crura reducit, & supra
 umbilicum adstringitur, interposito ad pudenda tegenda arborum musco: exacto autem decennio, pellibus
 cinguntur ut reliquæ. Pupis & tintinnabulis ex Anglia delatis, maxime delectantur.




1112 *[Faint, illegible text]*

[Large block of extremely faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]

RPJCb

[Large block of extremely faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



POMEIOOC seniores magna pelle teguntur quae supra humeros colligata, ab uno latere infra genua propendet, altero brachio nudo extra pellem, ut liberius sit, exerto: sunt vero illae pelles una cum suis villis paratae, aut aliis pellibus villosis suffulta. Adolescentes ne pilum quidem tota facie tolerare possunt, sed quotquot prominent statim euellunt: senes autem facti crescere sinunt, tamen rarioris admodum sint pradi. Crines etiam in occipite colligant, & cristam in vertice gestant ut ceteri. Adiacens regio adeo fecunda & commoda est, ut ne Analia quidem in multis ei comparari queat.

B

RPJCB

Vt Matronæ Dasamonquepeuc liberos gestant. X



IN oppido *D A L E M V N Q V E P E V C*, quatuor aut quinque miliaribus a *R O A N O A C* distante, matronæ eadem ratione qua *R O A N O A C E N S E S* amiciuntur & punguntur; corollas tamen capiti non imponunt, nec crura punctiunculis picta habent. Miram habent liberos gestandi rationem, & a nostra plane diuersam: nam nostra brachiis ante pectus liberos sustinent, illæ vero prehensa pueri dextra manu, in tergo gerunt, crus illius sinistram sinistro brachio amplectentes, ratione satis mira & peregrina, ut ex pictura videre licet.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.



RPJC

Several lines of handwritten text below the sketches, which are mostly illegible due to fading and the angle of the page.



VULGO etiam Magos ſive Preſtigiatores habent, miros geſtus & ſæpenumero natura aduerſos in ſuis incantationibus facientes: cum demonibus enim familiariter verſantur, a quibus quid hoſtes rerum gerant, aut eiſmodi alia ſciſcitantur. Totum caput radunt excepta criſta, quam ut reliqui geſtant, & ſupra aurem auem nigrã artis ſuæ ſymbolum. Nudi incedunt excepta pelle quæ a cingulo propendens verenda tegit, lateri maſſupium appendunt, ut in figura expreſſum eſt. Magnam vero fidem adhibent incolæ horum ſermonibus, quos veros eſſe ſæpe experiuntur.



RPJC

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

2. 8.



IRA est in VIRGINIA cymbas fabricandi ratio: nam cum ferreis instrumentis aut aliis nostris similibus careant, eas tamen parare norunt, nostris non minus commodas ad navigandum quo lubet per flumina & ad piscandum. Primum arbore aliqua crassa & alta delecta, pro cymba quam parare volunt magnitudine, ignem circa eius radices summa telure in ambitu struunt ex arborum musco bene resiccato & ligni assulis paulatim ignem excitantes, ne flamma altius ascendat & arboris longitudinem minuat. Pene adusta & ruinam minante arbore, novum suscitant ignem, quem flagrare sinunt donec arbor sponte cadat. Adustis deinde arboris asligio & ramis ut truncus iustam longitudinem retineat, tignis transversis supra furcas positis imponunt, ea altitudine ut commode laborare possint, tunc cortice conchis quibusdam adempto, integriorem trunci partem pro cymba inferiore parte servant, in altera parte ignem secundum trunci longitudinem struunt, praterquam extremis, quod satis adustum illis videtur, restincto igne cōchis scabunt, & novo suscitato igne denuo adurunt, atque ita deinceps pergunt, subinde vrentes & scabentes, donec cymba necessari-
m alueum nacta sit. Sic Domini spiritus rudibus hominibus suggerit rationem qua res in suum usum necessarias conficere queant.



RPJCB

The following text is extremely faint and largely illegible. It appears to be a detailed description or recipe, possibly related to the title 'Limnium conficiendum ratio'. The text is arranged in several paragraphs, with some lines appearing to be numbered or organized in a list-like structure.

III X. omnibusque in signis V. annis

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]


Incolarum Virginiae piscandi ratio. XIII.



EREGIAM etiã habent piscandi in fluminibus rationem: cum enim ferro & chalybe careant, arundinibus aut oblongis virgis piscis cuiusdam cancro marino similis caudam concavam pro cuspide imponunt, quibus noctu vel interdiu pisces figunt, & in suas cymbas congerunt: sed aliorum piscium spinis & spiculis uti norunt. Baculis etiam seu virgultis in aquam defixis tegetes consciunt, quas intertextentes in angustum semper contrahunt, ut ex figura apparet. nunquam apud nos conspecta est tam subtilis pisces capiendi ratio, quorum varia genera istic in fluminibus reperiuntur, nostris dissimilia, & boni admodum succi. Fucundum sane est spectare incolas modo incedentes & currentes, modo nauigantes per ea flumina quae plana sunt, non alta, ab omni solitudine liberos opes suis successoribus acquirendi, sua sorte contentos, atque amicè simul viuentes ex his, quae munificus Deus est illis elargitus, nullis tamen pro merito actis ipsi gratiis: adeo barbara est haec natio, & cognitione Dei priuata: nullam enim aliam habent, quam cuius in libro facta est mentio.



RPJCB



T. B.

74

C *APT* a piscium abundantia, ad locum destinatum concedunt cibis parandis idoneum: illic defixis in terram quatuor furcis quadrangula area, quatuor ligna imponunt, atque his alia transversa, cratis satis altae instar. Crati piscibus impositis ignem substruunt, ut assentur, non incolarum Floridæ provincie more, qui dumtaxat vstulant & fumo indurant, ut tota hieme ad servare possint: nam hi nihil seponentes omnia assant & absument, deinde cū opus habent recentes assant aut elixant, ut postea videbimus. Cum vero cratis interdum omnes pisces capere nequeat, reliquos bacillis in terram apud ignem defixis per brachias appendunt, hac ratione cocturā absolventes: diligenter autem observant ne aduratur. Primis assatis, alios recens allatos crati imponunt, subinde cocturam repetentes donec satis eduliorum se habere existiment.

Fictiliū vasorū in quibus cibū coquunt forma. XV



S V M M A industria figulina vasa eorum feminae parare norunt, eaque capacia admodum & tenuia, ut ne figulus quidem currente rota meliora conficere possit; huc illuc ea transfere-
rentes tanta facilitate ut nos aeneam lebetem. His massa luti impositis, ne cadant, ligna
circumponunt, quibus incēsis illorum quispiam summam curam adhibet, ut ignis circum-
quaque aequalis ardeat: vase ab ipsis aut eorum mulieribus aqua repleto, iniiciunt fructus,
arnes, piscesque, & simul omnia percoqui sinūt instar laetaurocacabi, quod Hispani olla podrida appellāt.
In lances deinde transfusa cœtui apponunt, atque simul in hunc modum genio indulgent, in victu tamen
moderati, ne in morbum incidant. Utinam eorum exemplum imitaremur; immnes enim essemus a tam
variis morbis quos sumptuosus & intempestivus conuiuiis nobis accersimus, noua condimenta & gula ir-
ritamenta semper excogitantes, ut saturifiamus.

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, which is mostly illegible due to fading.

RPJCB

Main body of handwritten text, consisting of several lines of cursive script that is significantly faded and difficult to decipher.



T. B.

16

Hæc est eorum victus ratio: Storea jcirpea humi strata, cibum in eius medit-
 lio collocant, deinde in orbem assident, viri ab una parte, femina ab alte-
 ribus. Cibus est mayzi grana elixa, eo quo superiore libro scripsi modo, boni admodum
 saporis, ceruina aut alterius animalis caro & pisces: sobrii tamen sunt in victu
 & potu, inde diuturno tempore viuunt, cum natura vim non inferant.

C